

cædes edita foret, concidissentque plerique miserandum in modum a suis confossi, quod ne fieret, atque certos ictus miles in adversarium inferret, dissono clamore, & dispari voce in hostem arma intentarentur; nam qui sub Luchino militabant, invocato Ambrosii nomine hostem impetebant. Lodrisii miles fere alienigena Germanicum quoddam vociferando hastas vibrabant, tum gladios stringentes cominus hostem obruncabant. In accipiti aliquamdiu dimicatione steterunt; superior tandem fuit Lodrisius; utrumque multi concidere. Clamor occurrentium, cadentium fragor, armorum crepitus ad multa passuum millia exauditus. Joannes Fliscus, quem Luchinus inter arma virtutis ergo militari ornamento decoraverat, casu quo elisus expiravit. In hac pugna quantum fortuna possit, & nunc huic propitia, nunc illi inimica, si umquam alias, cognitum fuit. Luchinus ubi inclinatam suorum aciem vidit, fremens, & intrepidus stricto ense inter confertissimos prorumpit. Restituta pugna. Ceterum dum fugæ, & cædi adversariorum indulget capitur, atque ad propinquam nucem, appositis custodibus deligatur. Pugna aliquantisper remissa, intellexit Lodrisius segniores adversarios, dennoque instaurato agmine in certamen invadit; acerrima committitur pugna. Miles quem occupaverat locum, quamvis undique tela peterent, cedere nesciebat; ita pulchrum putabat illic concidere, ubi hosti se opposuerat. Actius de summa rerum periclitabatur. Mediolani ingens trepidatio erat. Urbani milites, qui in præsidio relictii erant, ad primum adversæ pugne nuncium, arreptis armis, in hostem progressi advenere, dum manus conferebant; horum interventu cives, qui jam terga dabant recreati, in hostes tela obvertunt, & acris infrementes sustinent. Superveniunt inter hæc Sabaudiensis auxiliares milites, atque eodem tempore Estensium conducticia caterva, quarum ductor erat Brandelisus Gozadinus, quem supra a Populo Bononiensi pullum docuimus. Novis, & ex insperato adjunctis copiis hostis a præsentis victoria jam ad spolia dilapsus, continens in fugam se dat. Luchinus nuci adherens inventus vinculis solvitur, equum ascendens pugnam instaurat. Lodrisius ubi desperatis rebus diffugientes suos vidit, in manus Joannis Vicecomitis, quem captivum tenebat, se tradidit. Tunc omnis dissipatus exercitus. Cæsi in pugna permulti, plures in fuga capti. Finem dimicandi sol occidens fecit. Lodrisius captivus Mediolanum perducitur. Luchinus, ut cœperat, nihil morte Flisci perturbatus, militari ornamento Matthæum juniorem Stephano fratre progenitum, Joannem Scacabarotium, Reginandum Alexandrum (hic Mantuanus erat) pari honore dignatur. Hanc pugnam Annales, omnes celebrant, tum quia in ea vertebatur Partium victoria, & utriusque exercitus Duces vario eventu capti fuere. Ordinum principes, & qui inter equites dignitate, & imperio pollebant, fere omnes aut faucii, aut occisi, aut capti fuerint. Concidisse ex hostibus, & qui Lodrisio adhæserant, ad tria millia traditur. Septingenti equi occisi, dum prædâ recognoscitur ad duo millia descripti. Surrepti multi; sed neque incrementa fuit Luchino victoria; namque complures ex iis, qui sequuti fuerant, vulnera accepere; aliis membra abscissa, effossi oculi, nares truncatæ: tanta fuit ferocis,

A & immanis barbari crudelitas, atque sævitiæ. Viæ publicæ acervis cadaverum horrescebant; vici amissis cultoribus squallebant; omnia prædâ exposita. Non fuit supra eam memoriam major peracta cædes, nec magis infensus animis pugnatum. Exarserant inter cognatos odia, & interim, ut ille dixit, propius periculo is fuit, qui viciit; servavere tunc fata Urbem. Ferunt, transmissis Abduam exercitu barbaros præ inopia suspendii, quum ferocius agerent, parumque imperata Lodrisii facerent, inter se conjurasse, si Actium, & Luchinum debellassent, Urbe capta, cives ad unum interficerent, aut in Germaniam abducerent, relictis dumtaxat rusticis, qui agros colerent; tum vero, externis colonis adductis, Urbem populosissimam, & potentissimam in coloniam redigerent. Restitit omnipotens Deus, illorumque sævitiæ, & crudelitati obstitit. Ambrosius dum acres configerent in aëre albo vestitus amictu barbaros scutica cæcidisse fertur, quos etiam ita perterruit, ut in victoria costernati terga darent; neque hoc fabulosum, aut confictum quisquam dixerit. Inter Germanorum catervas Malherba cognomine, viribus, & animo præstans, quum captivo quidam insultarent, ignaviamque objicerent, ut occisione devicti fuerint, respondit: Minime eos ignavos dixeritis, neque viribus, aut armis vestris nos cessimus; nec item virtuti, & animo plaudite, nos is perterrefecit, qui dum tela jacularemur, aut cominus strictis gladiis impeteremus, oculis nostris obversatus, flagello subinde vulnerabat. Ceterum Actius, & Luchinus, ne pro tanto beneficio ingrati in Ambrosium essent, simulque locus æternæ facti memoriæ celebrior, & venerabilior foret, Templum sub nomine Divi Ambrosii illic excitavunt, ubi commissæ pugna, hostisque fusus fuit; atque ut religio in animis hominum perseveraret, appellationem, & titulum Victoriarum Templo indiderunt. Cives vero constituere munera, quæ quotannis victori solemnibus supplicatione offerrentur. Durat adhuc nux, cui Luchinus adligatus fuit; sic seniores de patribus se accepisse ferunt. Ita nobilitatis gladii hostium est locus, & religione victorum venerandus. Fundamenta jacta fuere ab Joanne Vicecomite Novariensi Episcopo; is primum lapidem manibus propriis dejecit. Ceterum a Matthæi clementia, nec filii, nec nepos degeneraverunt; de summa rerum quum dimicatum fuerat in illum clementes, satis factum putavere, si Lodrisium vincitum compede in arce, quæ a Divo Columbano nomen habet, tenerent. Per hæc tempora res mira accidit, & prope fabulosa, quam nescio commemorem, quippe fidem Scriptori abrogatam, nisi tale quiddam de honestis cor ore scriberet Herodotus, & Philostratus in Heroicis; sua ætate tradunt in Campania, effosso sepulchro, hominis ossa magnitudinem humanam excedentia inventa. In Sepriensi Præfectura Monasterium est barbaræ, & peregrinæ appellationis de Thorbeth. Forte vehementi spirante vento, turbine ingens correpta arbor ab radicibus eruitur. Subter apparuit sepulchrum, in quo adhuc integrum stabat Galdani Longobardorum Regis corpus, caput ex auro corona redimibat; tres gemmæ infixæ stabant, carbunculus, adamas, & achates pretii haud mediocri, & sinistra manu pomum ex auro, lateti ensis hærebat, prope quem appositus insolita magnitudinis